

TEMPORE QUADRAGESIMAE

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA

Homilia S. Gregorii Papae.

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.

Matth. IV, 1-11.

In illo tempore: Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.

2. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esurivit.

3. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

4. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi.

6. et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

7. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum.

9. et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

10. Tunc dicit ei Iesus: Vade, Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

11. Tunc reliquit eum diabolus: et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.

HOMILIA XVI IN EVANGELIA. Habita ad populum in Basilica S. Iohannis, quae dicitur Constantiniana, Dominica prima in Quadragesima.

DUBITARI a quibusdam solet, a quo spiritu sit Iesus ductus in desertum, propter hoc quod subditur: *Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem.* Et rursum: *Assumpsit eum in montem excelsum valde.* Sed vere et absque ulla quaestione convenienter accipitur, ut a sancto Spiritu in desertum ductus credatur: ut illuc eum suus Spiritus duceret, ubi hunc ad tentandum malignus spiritus inveniret. Sed ecce, cum dicitur Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam civitatem a diabolo assumptus, mens refugit, humanae hoc audire aures expavescent. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo et alia facta pensamus. Certe iniquorum

omnium caput diabolus est, et huius capituli membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? An non diaboli membra iudaei persequentes et milites crucifigentes Christum fuerunt? Quid ergo mirum si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam a membris illius crucifigi? Non est ergo indignum Redemptori nostro quod tentari voluit, qui venerat occidi. Iustum quippe erat, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare. Sed sciendum nobis est, quia tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione et consensu. Et nos cum tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur: quia de carnis peccato propagati, in nobisipsis etiam gerimus unde certamina toleremus. Deus vero, qui in utero Virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit.

1357 Sed si ipsam ordinem tentationis eius aspiciamus, pensemus quanta magnitudine nos a tentatione liberamur. Antiquus hostis contra primum hominem parentem nostrum in tribus se tentationibus erexit: quia hunc videlicet gula, vana gloria et avaritia tentavit: sed tentando superavit, quia sibi eum per consensum subdidit. Ex gula quippe tentavit, cum cibum ligni vetitum ostendit, atque ad comedendum suavit. Ex vana autem gloria tentavit, cum diceret: *Eritis sicut dii*. Et ex profectu avaritiae tentavit, cum diceret: *Scientes bonum et malum* (GEN. III, 5). Avaritia enim non solum pecuniae est, sed etiam altitudinis. Recte enim avaritia dicitur, cum supra

modum sublimitas ambitur. Si enim non ad avaritiam honoris rapina pertineret, nequaquam Paulus de unigenito Dei Filio diceret: *Non rapinam arbitratus est, se esse aequalem Deo* (PHIL. II, 6). In hoc autem diabolus parentem nostrum ad superbiam traxit, quod eum ad avaritiam sublimitatis excitavit.

1358 Sed quibus modis primum hominem stravit, eisdem modis secundo homini tentato succubuit. Per gulam quippe tentat, cum dicit: *Dic ut lapides isti panes fiant*. Per vanam gloriam tentat, cum dicit: *Si filius Dei es, mitte te deorsum*. Per sublimitatis avaritiam tentat, cum regna omnia mundi ostendit, dicens: *Haec omnia tibi dabo, si prociens adoreris me*. Sed eisdem modis a secundo homine vincitur, quibus primum hominem se vicisse gloriabatur: ut a nostris cordibus ipso aditu captus exeat, quo nos aditu intromissus tenebat. Sed est aliud, fratres carissimi, quod in hac tentatione dominica considerare debemus: quia tentatus a diabolo Dominus sacri eloquii praecepta respondit, et qui eo verbo quod erat, tentatorem suum mergere in abyssum poterat, virtutem suae potentiae non ostendit, sola divinae Scripturae praecepta dedit: quatenus suae nobis patientiae praeberet exemplum, ut quoties a pravis hominibus aliquid patimur, ad doctrinam excitemur potius, quam ad vindictam. Pensate quanta est patientia Dei, et quanta impatientia nostra. Nos si iniuriis aut aliqua laesione provocamur, furore permoti, aut quantum possumus nosmetipsos ulciscimur, aut quod non possumus, facere minamur. Ecce adversitatem diaboli Dominus pertulit, et nihil ei nisi mansuetudinis verba respondit. Portat, quem punire poterat, ut hoc in laudem eius alius crederet, si hostem suum non exstingendo, sed interim patiendum superaret.

1359 Notandum vero quod subditur, quia recedente diabolo, angeli ministrabant ei. Ex qua re quid aliud, quam unius personae utraque natura ostenditur? Quia et homo est quem diabolus tentat, et idem ipse. Deus est, cui ab angelis ministratur. Cognoscamus igitur in eo naturam nostram: quia nisi hunc diabolus hominem cerneret, non tentaret. Veneremur in illo divinitatem suam: quia nisi super omnia Deus existeret, ei nullo modo angeli ministrarent.

1360 Sed quia his diebus lectio congruit: nam quadraginta dierum abstinentiam nostri Redemptoris audivimus, qui quadragiesimae tempore inchoamus; discutendum nobis est, cur haec ipsa abstinentia per quadraginta dierum numerum custoditur. Moyses enim ut legem acciperet secundo, diebus quadraginta ieiunavit. Elias in deserto quadraginta diebus abstiniuit. Ipse auctor hominum ad homines veniens, in quadraginta diebus nullum omnino cibum sumpsit. Nos quoque, in quantum possumus, annuo Quadragiesimae tempore carnem nostram per abstinentiam affligere conemur. Cur ergo in abstinentia quadragenarius numerus custoditur, nisi quia virtus decalogi per libros quatuor sancti Evangelii impletur? Denarius etenim quater ductus, in quadragenarium surgit: quia tunc decalogi mandata perficimus, cum profecto quatuor libros sancti Evangelii custodimus. Ex qua re sentiri et aliud potest. In hoc enim mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, et per voluptates eiusdem corporis praeceptis dominicis contrahimus. Praecepta autem dominica per decalogum sunt accepta. Quia ergo per carnis desideria decalogi mandata contempsimus, dignum est ut eandem carnem quaterdecies affligamus. Quamvis de hoc quadragiesimae tempore est adhuc aliud quod possit intelligi. A prae-

senti etenim die usque ad paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadae veniunt: quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt. Ex quibus dum sex Dominici ab abstinentia subtrauntur, non plus in abstinentia quam triginta et sex dies remanent. Dum vero per trecentos et sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta et sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus: ut qui nobismetipsi per acceptum annum viximus, auctori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus. Unde, fratres carissimi, sicut offerre in lege iubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite et decimas dierum. Unusquisque in quantum virtus suppetit, carnem maceret, eiusque desideria affligat, concupiscentias turpes interficiat, ut iuxta Pauli vocem, hostia viva fiat. Hostia quippe et immolatur et viva est, quando et ab hac vita homo non deficit, et tamen se a carnalibus desideriis occidit. Caro nos laeta traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Auctor etenim mortis nostrae per fructum ligni vetiti vitae praecepta transgressus est. Qui ergo a paradisi gaudiis per cibum cecidimus, ad haec in quantum possumus, per abstinentiam resurgamus.

1361 Sed nemo sibi eandem abstinentiam solam credat posse sufficere, cum per prophetam Dominus dicat: *Nomme hoc est magis ieiunium quod elegi? subiciens: Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris* (Is. LVIII, 6, 7). Illud ergo ieiunium Deus approbat, quod ad eius oculos manus eleemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur. Hoc ergo quod tibi subtrahis, alteri largire; ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro re-

paretur. Hinc etenim per prophetam Dominus dicit: *Cum ieiunaretis et plange- retis, numquid ieiunium ieiunastis mihi? Et cum comeditis et bibitis, numquid non vobis comeditis et vobismetipsis bibitis?* (ZACH. VII, 5, 6). Sibi enim comedit et bibit, qui alimenta corporis, quae sunt communia dona Conditoris, sine indigentibus percipit. Et sibi quisque ieiunat, si ea quae sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Hinc per Ioel dicitur: *Sanctificate ieiunium* (IOEL, I, 14). Ieiunium quippe sanctificare est, adiunctis bonis aliis, dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur iurgia. Incassum enim caro atteritur, si a pravis vis voluptatibus animus non re frenatur, cum per prophetam Dominus dicat: *Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra. Ecce ad lites et contentiones ieiunatis et percutitis pugno impie, et omnes debitores vestros repetitis* (Is. LVIII, 3). Neque enim qui a debitore suo hoc quod dedit, repetit, aliquid iniustum facit: sed dignum est ut quisquis se in poenitentia macerat, etiam hoc quod sibi iuste competit, interdicit. Sic sic nobis afflictis et poenitentibus a Deo dimittilur quod iniuste egimus, si pro amore illius et hoc quod nobis iuste competit, relaxemus.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESII, VOL. I, SERM. 21.)

1362 **A**FFLICTUS sum, et humilitas sum nimis, rugiebam a genuu cordis mei (PSAL. XXXVII). Tam efficax et tam admirabile ac tantae gratiae est mysterium sacratissimae Passionis, quod, si mens humana illud sentit, et voraciter experitur, compatiens cordialiter Christo passo, inflammatur, et transformatur ita in eius dilectionem, quod, sicut sentit Christum voluisse mori pro suo amore, sic etiam parata sit pro illo non solum omnem culpam horrere, verumetiam omne supplicium mortis subire.

1363 Proinde Apostolus, quod verbum potest esse

aliud thema in praesenti materia, ad Phil. II cap. hortatur nos, dicens: *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Iesu*: in quibus verbis ad tria nos Apostolus hortatur. Primo ad actum cordialissimum, secundo ad subiectum convenientissimum, tertio ad obiectum amorosissimum.

1364 Primo quidem hortatur nos ad actum cordialissimum, quod est sentire, dicens: *Hoc enim sentite*: magna quidem differentia est inter cogitare, intelligere, et sentire de Christo Iesu. Paucorum tamen est hoc profunde rimari et intelligere, sed paucissimorum omnino est id sentire, et experimentaliter experiri: id enim tantummodo est mentis per ardentissimam charitatem Christo se totaliter conformare; quod quidem exemplo patere potest. Nam si videres aliquem cruciari, vel suspendi qui tibi nullo modo coniunctus est, potes quidem eius poenam cogitare, atque intelligere, non tamen cordialiter sentis: quum vero tuo filio, aut cuiuscumque tuo cordiali dilecto talis iniuria irrogatur, tunc quidem gravem laesuram in animo experis, eo quod per viam sensualem, seu ardentis amoris sis illi in viscatu, et ipse tibi. Nec insuper tantum inquit Apostolus: *Gustate, aut videte, seu odorate*, et sic de ceteris quinque sensibus, sed ait *sentite*; ut omnes quinque animae sensus uno verbo comprehendat, et cordi nostro sensum Dominicæ Passionis imprimat et infigat.

1365 Secundo hortatur Apostolus ad subiectum convenientissimum ad talem sensum, quod est intrinsicum nostrum; ideo subdit *in vobis*. Magni quidem muneris est sentire in Christo quod et in Christo. Sed quando verus Dei amor sic inebriat mentem, quod nihil sentit in se, nisi Christum, et quae sunt Christi, eo quod totaliter sit transformata in eum; hoc quidem altioris est doni, sicut per experientiam hoc in se habuisse Apostolus attestatur, quum ad Gal. II, ait: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus*.

1366 Potest hoc etiam manifesto exemplo probari: nam, si mente consideras dulcedinem mellis, non quidem in te, sed in melle sentis dulcedinem eius: quum vero in veritate comederis istud, gustus, etiam absente melle, remanet dulcoratus: sic et in proposito nostro: propterea subdit: *quod et in Christo Iesu*. Magnum siquidem est sentire Christum in sua humanitate, minus est sentire illum in sua divinitate, sed maximum et inestimabile est quando tanta fit coniunctio dilecti et diligenti, quod quaecumque aguntur circa dilectum adeo experimentaliter sentit ipse amans, sicut si fierent circa eum, non contentus sentire personam tantum in veritate substantiae suae, sed quaecumque illius sunt usque ad minima intime experitur. Et de hoc Apostolus subdit, *quod et in Christo Iesu*.

1367 Sed quod et in Christo Iesu, quasi spiritu ebrius, omnes in Christum Iesum transformare desiderans, addidit inebrians nomen Iesu. Itaque ad hoc naturalis ratio et experimentum sensibile nos hortatur: si enim per vitalem influxum capitis in humana membra quod capitis est membra sentire habent, utpote, si quaecumque indispositio in capite sit, totum corpus apparere sentire laesuram, nullo magis quod est in capite nostro Christo debemus et nos sentire, nisi forte simus eius paralytica membra. Vitalis enim capitis nostri gratia et influxus, quum non descendit ad talia membra, non equidem sentiuntur quae sunt in Christo Iesu Domino nostro. In hoc igitur experire, anima mea, an sis vivum in Christo, an paralyticum membrum, habens vivi membri exteriorem apparentiam, non interierem vitam et gratiam.

1368 Sed hoc tantum ac tale donum sentienti in se quod et in Christo Iesu nemo potest acquirere per seipsum, nisi ei per gratiam divinitus largiatur: nec largiri dignatur Deus, nisi interveniente aliquo digno intercessore; quum, secundum Apostolum (II Cor. III): *Non sumus sufficientes aliquid cogitare a nobis, quasi ex vobis*. Ad quem ergo confugiemus hodie pro tanta gratia impetranda? Cuius precibus impetrare poterimus eam? Quomodo reperire valebimus intercessorem?

1369 Si enim ad Virginem Matrem, quae nobis solet omnes gratias impetrare, vellemus hodie habere recursum, reperiremus eam sic Filio dilecto tam horribiliter concalcato et crucifixo tot visceribus, omnibus sensibus, et cunctis cogitationibus compati, et sic in eum totaliter transformari, quod ad nihil aliud sentiendum mentem suam videretur posse transferre. Quid enim rememoratio gratiarum suarum, atque nostrarum petitionum in eius memoria aliud esset, nisi multiplicatio suorum dolorum? Nam, si dicerent *Ave*, respondere utique posset: sed ne, quaeso, dixeris mihi *Ave*, id est, sine vae quae incunctatis salutatio est: quia vac dolorum et afflictionum Filii mei dilecti in cruce pendenti sola compatiendo supporto: *Posuit me Dominus desolatam, et ipsum non est mecum*. Nec dici possum Maria, id est, illuminatrix, quum locata sim in tenebris et in umbra mortis. Si etiam addiderem *ei gratia plena*; et iterum responderet: *Heu mihi fili Adae*: Qualis mihi gratia ante oculos meos videre Filium meum tot doloribus et confusionibus plenum inter latrones pendentem? Si subderem *Dominus tecum*, subito responderet: Quomodo Filius meus Dominus est, qui tamquam ma-

liefactor et latro pendet in patibulo crucis? Nec etiam meum illum dicere vales, quem nec tangere, nec insuper ei valeo appropinquare (THREN. I). Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens lacrymas, *quia longe factus est a me consolator meus*. Si dicerem: *Benedicta tu in mulieribus*, merito responderet: Quomodo benedicta sum super alias mulieres, quae ab omnibus cum dilecto Filio meo sum crudeliter maledicta et blasphemata? Unde Thren. 2 cap. scriptum est: *Omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias: Omnes qui glorificabant eam spreverunt illam, quia viderunt ignominiam eius*. Si subinferem: *Et benedictus fructus ventris tui*; nonne diceret posset: quia ratione benedictum fructum ventris mei nominis qui continue a gente impia Iudaeorum est blasphemus et improperis maledictus? et in eo verificatur quod Deuter. 21 cap., scriptum est: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*? Si adderem quoque *Iesus*, qui Salvator interpretatur; miraretur utique dicens: Quomodo Filium meum salvatorem nominas, quum impia Iudaeorum turba ei improperando dicat: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere* (MATTH. XXVII). Nec insuper subdere possum: *Sancta Maria, ora pro nobis peccatoribus*, quia merito responderet posset: Quomodo pro vobis peccatoribus orare debeo, quae compati Filio meo dilecto in cruce pendenti non sufficio? sed prae dolore et lacrymis toto corde deficio? *Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum* (ION XI).

1370 Ad quem igitur pro auxilio huius impetrandae gratiae recurramus? Quem habebimus adiutorem? Quem obtinere poterimus impetratorem? Ad quem mentes supplices dirigemus, nisi ad te Lignum vitae, ad te Crucem sanctam, ad te Crucem benedictam: ad te, inquam, in qua omnes sensus Domini Iesu Christi, et omnes thesauri sapientiae humano generi dispensantes reclusi sunt? Tu scala Iacob, per quam Angelicae gratiae ad nos descendunt. Tu clavis David veri, quae claudis sensum Christi, et nemo aperit; aperis, et nemo claudit. Tu fons diceris gratiarum propter coniunctionem Corporis Iesu Christi, et humentationem eius Sanguinis pretiosi. Tu ergo, quae pulchritudinem de membris Domini suscipies, aperi sensus nostros, illumina corda nostra, piis sensibus passionis Christi reple viscera nostra, ut valeamus vere sentire, et spiritualiter operari quae pro nobis sentit Dominus noster Iesus Christus. Ad te igitur pro hac gratia impetranda dirigimus preces nostras, effundimus corda nostra, humilium capita nostra, supplices devotione decantes: *O Crux, ave, spes unica, hoc passionis tempore, auge piis iustitiam, resque dona veniam. Amen*.

1371 *Afflictus sum et humilitas sum nimis, rugie-*

bam a genuis cordis mei; iterum ubi supra: in quibus sacratissimi verbis septima Religiositas, videlicet, Christi passionati devotissima demonstratur, ubi Propheta in persona Christi ad triplicem sensum attrahit corda nostra. Primo ad sensum suorum dolorum ubi: *Afflictus sum;* secundum ad sensum suorum vituperiorum seu confusionum ubi: *Et humiliatus sum nimis;* tertio ad sensum suorum moerorum seu clamorum ubi: *Rugiebam a genuis cordis mei.*

1372 Interim tamen manifeste demonstrat quod pro peccatis nostris expandiis crucis patibulum, et durissimum mortem perpassus est. Unde ad purgandum luxuriam nostram voluit pati dolores; ideo ait: *Afflictus sum.* Et ad purgandum superbiam passus est confusiones; ideo subdit: *Et humiliatus sum nimis.* Ad purgandum avaritiam sustinuit moerore; ideo addit: *Et rugiebam a genuis cordis mei.* Primum contra concupiscentiam carnis, secundum contra superbiam vitae, tertium vero contra concupiscentiam oculorum. In quibus tribus, secundum sententiam Beati Ioann. 1, 2: *Omnis mundana concupiscentia a peccatoribus frequentatur.*

1373 Ut autem tota series Dominicæ Passionis debito et recto ordine capiatur, et evangelica historia clarius et convenientius contextatur, totum tractatum passionis in tres partes principales distinguamus, secundum triplicem supradictum distinctionem sensum, secundam principalem partem pro tertia et ultima reservantes.

FERIA SECUNDA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDE MATTHARUM.
Matth. XXV, 31-46.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae:

32. et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis;

33. et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris.

34. Tunc dicit rex his, qui a dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

35. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitiivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me:

36. nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me.

37. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te: sicutem, et dedimus tibi potum?

38. Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te: aut nudum, et cooperuimus te?

39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te?

40. Et respondens rex, dicit illi: Amen dico vobis, quando fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41. Tunc dicit et his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius.

42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitiivi, et non dedistis mihi potum:

43. hospes eram, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere, et non visitastis me.

44. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitiientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?

45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quando non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

46. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.

Homilia S. Augustini Episcopi.

LIB. DE FIDE ET OPERIBUS, CAP. 12.

QUAPROPTER diligenter oportet attendere quomodo accipienda sit apostoli Pauli illa sententia, plane ad intelligendum difficilis, ubi ait: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestabitur. Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cuius autem opus arserit, damnum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem (I COR. III, 11-15).* Quod quidam ita intelligendum putant, ut illi videantur ædificare super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, qui fidei quae in Christo est, bona opera adiciunt; illi autem fenum, ligna, stipulam, qui cum eandem fidem habeant, male operantur. Unde arbitrantur per quasdam poenas ignis eos posse purgari ad salutem percipiendam merito fundamenti.

375 Hoc si ita est, fatemur istos laudabili charitate conari ut omnes indiscrete admittantur ad Baptismum, non solum adulteri et adulterae, contra sententiam Domini falsas nuptias prætententes; verum etiam publicæ meretrices in turpissima professione perseverantes, quas certe etiam nulla negligentissima Ecclesia consuevit admittere, nisi ab illa primitus prostitutione liberatas. Sed ista ratione cur non omni modo admittantur, omnino non video. Quis enim non malit eas posito fundamento, licet ligna, fenum et stipulam congerant, aliquanto certe diuturniore igne purgari, quam in æternum perire? Sed falsa erunt illa, quae obscuritatem ambiguitatemque non habent: *Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum;* et: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Falsum erit et illud: *Nolite errare; neque fornicatores, neque idolis servientes, neque fures, neque avari, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque ebriosi, neque maledicti, neque rapaces regnum Dei possidebunt (I COR. VI, 9, 10).* Falsum et illud: *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicationes, immunditiae, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones, haereses, irindiae, ebrietates, comessationes, et his similia, quae praedico vobis, sicut et praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt (GALAT. V, 19, 20, 21).* Falsa erunt haec. Si enim tantummodo credant et baptizentur, quamvis in malis talibus perseverent, salvi erunt per ignem: atque ideo in Christo baptizati, etiam qui talia agunt, regnum Dei possidebunt. Frustra autem dicitur: *Et haec quidam fuistis, sed abluti estis (I COR.*

VI, 11); quando et abluti haec sunt. Inaniter etiam illud a Petro dictum videbitur: *Sic et vos simili forma Baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio (I PETR. III, 21);* siquidem et habentes pessimas conscientias omnium flagitiorum et scelerum plenas, nec eorum malorum poenitentia mutatas, tamen Baptisma salvos facit propter fundamentum enim quod in eodem Baptismate ponitur, licet per ignem, salvi erunt. Illud quoque non video cur Dominus dixerit: *Si vis venire ad vitam, serva mandata,* et commemoravit ea quae ad bonos mores pertinent (MATTH. XIX, 17-19); si etiam his non servatis ad vitam veniri potest per solam fidem, quae sine operibus mortua est. Illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad sinistram positurus est dicit: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius?* Quos non increpat quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Nam profecto ne sibi quisquam de fide, quae sine operibus mortua est, vitam promittat æternam, propterea omnes gentes segregatarum se dixit, quae permixtae eisdem pascuis utebantur, ut appareat eos illi dicturos, *Domine, quando te vidimus illa et illa patientem, et non ministravimus tibi?* qui in eum crederant, sed bona operari non curaverant, tamquam de ipsa fide mortua ad vitam perveniretur æternam. An forte ibunt in ignem æternum qui opera misericordiae non fecerunt, et non ibunt qui aliena rapuerunt, vel corrumpebant in se templum Dei in seipso immisericoordes fuerunt; quasi opera misericordiae prosit aliquid sine dilectione, dicente Apostolo: *Si distribuam omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (I CORINT. XIII, 3);* aut diligat quisquam proximum sicut seipsum, qui non

diligit seipsum? *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam* (PSAL. X, 6). Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli se ipsos seducunt dicentes, ignem aeternum dictum, non ipsam poenam aeternam: per ignem quippe, qui aeternus erit, transituros arbitrantur eos quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem; ut videlicet ipse ignis aeternus sit, combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eos aeterna: cum et hoc praevidens Dominus, tamquam Dominus, sententiam suam ita concluderet, dicens: *Sic ibunt illi in combustionem aeternam, iusti autem in vitam aeternam* (MATTH. XXV, 32, 33, 41-46). Erit ergo aeterna combustio, sicut ignis; et eos in illam ituros Veritas dixit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSIS, VOL. I, SERM. 51.)

1376 PRIMO autem principaliter in prophético verbo cor nostrum inducitur a Christo ad sensum suorum immensorum dolorum quos passus est tempore passionis. Et de hoc Propheta dicit in persona Domini Salvatoris: *Afflictus sum*. Hanc quidem afflictionem atque Christi dolores in duodecim contemplationes per ordinem distinguamus, agendo de passione illius usque ad eius crucifixionem inclusive. Harum quidem contemplationum tres pertinebunt ad passionis principium, tres ad passionis processum, tres ad passionis augmentum, et tres ultimae ad passionis complementum.

1377 Prima contemplatio pertinet ad principium passionis, tria in se comprehendit. Primum est passionis praenunciatio, secundum ad passionem exhortatio, tertium Christi contritatio.

1378 Primum ponitur ab Evangelistis passionis praenunciatio, scilicet, facta a Christo discipulis suis: nam, sermone divinarum instructionum praelibato in coena, surrexerunt omnes, dicente Domino: *Surgite, amicus hinc*. Stabant enim Apostoli attenti ex verbis Domini dicentis quod in proximo tradendus esset; proinde Dominus verbum excitativum emisit, dicens: *Surgite, amicus hinc*. Non tamen dicitur Dominus surgamus, et amicus: non enim erat Dominus in animo consternatus, unde ei surgere

necesse foret, sed erat suspensus ad magnificum opus.

Surrexerunt ergo a loco coenaculi; et, sicut Matth. ait, *hymno dicto*, id est, aliqua laude et gratiarum actione post coenam reddita Deo. Ex hoc enim loco apertius patet quod in principio, et in fine comestioni solitus erat Christus laudare et gratias reddere Deo Patri, quod et docuit observare discipulos suos.

1379 *Exierunt in montem Oliveti. Tunc dixit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Scandalum autem pati in Christo est cadere ab eius fide atque sequela. Discipuli autem in illa nocte ceciderunt in Christi sequela; nam, eo relicto fugerunt. Aliquo modo ceciderunt ab eius fide, quia facti sunt in fide dubii, vacillantes et consternati. Et subdit: *Scriptum est enim* (ZACHAR. XIII): *Percutiam pastorem, et dispergi oves gregis.* Postquam autem surrexero, praecedam vos in Galilaeam: in quo quidem sermone contra duo quae dixerat alia duo subiunxit. Nam resurrectionem se dixit contra percussorem pastorem, atque contra dispersionem ovium Dei: dicit se praecessurum in Galilaeam, sicut praecedat pastor ad congregandas oves dispersas.

1380 *Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Secundum autem Hieronymum hoc fuit dictum temeritatis, nec mendacium, sed exitit ardens fides erga Christum. Augustinus tamen in lib. de civitate Dei, cap. 13, supponit quod ibi fuerit aliquid praesumptionis. *Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt.*

1381 Secundo subditur ad passionem exhortatio. Nam, his dictis, egreditur Iesus cum discipulis suis ad montem Sion, transgrediens torrentem Cedron a cedris ibi plantatis sic denominatum. Mystice tamen torrens subitam et cito defluentem tribulationem insinuat, iuxta propheticum dictum (PSAL. CIX): *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Defluxit siquidem torrens tribulationum et passionis Christi, et ipse transit per eum ad gloriam sempiternam: quod et ad Hebr. II cap. testatur Apostolus, dicens: *Vidimus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum.*

1382 *Et venit Iesus in villam quae dicitur Gethsemani, in qua erat hortus, in quem introiit ipse et discipuli eius: et dixit discipulis suis: Sedete hic, et orate, ne intretis in tentationem.* Gethsemani nempe vallis pinguetudinis interpretatur, ut mystice comprehendamus quod orationis locus, qui proprie noscitur esse cor, debet vallis esse per profundam humilitatem, ut scilicet pinguetudine devotionis re-

pleatur. Hoc ethumilis Propheta (PSAL. LXXII) postulabat, dicens: *Sicut adipe et pinguetudine repletur anima mea.* Sed quia ex abundantia cordis os loquitur, ideo subdit: *et labiis exultationis laudabit os meum.*

1384 Tertio subditur Christi contritatio. De hoc apertius subinfertur: *Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari et moestus esse. Tunc ait eis: Tristis est anima mea usque ad mortem, sustinete hic, et vigilate mecum.* Haec siquidem tristitia magnitudinem praetendebat amoris, ut in tantum nos sciamus diligi, ut tristetur pro nobis laetitia. Nemo tristatur, nisi de damno dilecti. Aequa nempe lance appenditur in animabus hominum circa eandem rem amor, quum adest, dolor, quum abest.

1385 Sed terminus huic tristitiae appositus animum in consideratione suspendit, quum dicit: *Usque ad mortem*, ut mortem aeternam omnium unius mortis victoria superari credamus. Nam mors et mors duro conflixere duello: quia in victoria mortis Christi mors omnium absorpta est; unde Apostolus (I CORINT. XV): *Absorpta est mors in victoria.* Et sequitur: *ubi est mors victoria tua?* O pium verbum, o flebile verbum, o amabilis vox: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Hic modus loquendi magnitudinem tristitiae significare potest eo modo quo multum turbati dicere solent: *Turbatus sum usque ad mortem*, id est, tanta turbatione, quod est mihi quasi mors, sicut Ionas cap. IV, dicit: *Bene irascor ego usque ad mortem*: vel significare potest terminum durationis doloris eius, ut sit sensus: me oportet tristari usque ad terminum mortis. Puto autem quod hic utrumque significetur.

1386 Sed, quacso, unde tristatur, atque quomodo ille invisibilis Sol eclipsim tristitiae patitur, qui omnem animam cohaerentem sibi divinis facit coruscare splendoribus, et laetibus ineffabilibus replet? nisi quia advocata ab ipso erat tristitia illa, atque iussa non importuna, venit? Et ad sustinentiam atque vigilantiam Christus suos electos invitans ait: *Sedete hic, et vigilate mecum*; non quod quaereret illos tres in suo esse praesidio, nec ad suam tutelam volebat esse intentos quos paulo ante praedixerat in eo scandalum omnes esse passuros, sed eos ad tolerantiam disponebat. Subdit etiam: *Et vigilate mecum* in oratione, tum ut ostendat quod orationes nostrae, ad hoc ut efficaces fiant, suae coniungi debent: tum ut demonstraret quod passionis eius pro qua orabat compassionem et orationem coniungere debemus: tum ut doceat ipsos Praelatos et sanctiores non designari suscipere orationis suffragium ab inferioribus suis, licet imperfecti cognoscerentur.

1387 Secunda contemplatio etiam pertinet ad prin-

cipium passionis triplicem Christi orationem in se comprehendit. Sed praemittitur orationi primae, sicut testatur Luc. XII, quod *progressus Iesus passillum, videlicet, quantum est iactus lapidis, prociidit in faciem suam.* Dimittit igitur verus orator octo discipulos: dimittit et tres, ut se totum ad seipsum recolligat, ab hominibus corpore segregatus: tamen sub interminata mensura, scilicet, quantum est iactus lapidis. Cautum quidem fuit a Spiritu sancto ut sic Evangelista describeret, eo quod propius et longius lapis prolici potest, prout vis maior vel minor fuerit iacentis, quantitas et gravitas lapidis proiacti, ut mystice innuatur quod numquam tantum in hac vita Christus ab aliquo elongatur, quod cor lapideum hominis peccatoris ad ipsum non possit, quod voluerit, peccate converti, ferique participem illius profundissimae orationis qua se paternae subdidit voluntati, ut pro nobis calicem biberet passionis.

1388 Bene quoque *prociidit in faciem suam*, id est, genuflexit, capite inclinato, et in terram vultu defixo. Nam qualis erat conscientia mentis in eadem transformabat et corpus: per omnia enim anima Christi paternae voluntati subiecta erat. Evangelista vero (MARC. XIV), ait: *Prociidit super terram*, scilicet, ut maledictio terminaretur Adae, de qua (GEN. III) cap. dicitur est: *Pauides es, et in pulverem reverteris*: nam Christus natus de terra Adae *prociidit super terram*: quarebat illam ponere super coelum, ad quod possidendam creata erat. Primo igitur orat, dicens: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Orans igitur ait: *Pater mi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis: Pater mi, ab aeterno, videlicet, deitate: Pater mi, et nullius alterius per deitatis naturam: Pater mi, et omnium, sed mei pliusquam omnium. Allocutio pia, allocutio humilis, allocutio amabilis inflexibilem possidet omnino veritatem.*

1389 Sed addidit, dicens: *Si possibile est.* Quid sibi vult haec talis apposita dubitativa conditio, quoniam certus sit quod Omnipotenti omnia quidem possibilis sunt, teste Propheta qui ait: *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit, in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis*: et nihil vult quod non possit, nihilque potest quod nolit, unde transfertur possibile de potentia in voluntatem, ut si velit, possit, non possit, si nolit. Tamen Evangelista Lucas vigilantiori verbo ait: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me*, ut omnino potentia transeat in voluntatem, et velle, atque posse diversitatem non habeant in divinis.

1390 Calicis tamen amotio petebatur, et dicebat nolle bibere quod anxio desiderio sitiebat. Ut homo quidem dicebat nolle bibere, sed, prout ratio supe-

riori obedebat veritati, prompto animo esuriebat; propterea subdit: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Nihil enim postulare debemus, nisi quod dare velle credimus bonorum omnium largiorem. Nam improba quippe est petitio quae datoris supergreditur voluntatem. Si quando tamen aliquid humano sensu in oratione profertur, non persistatur ex animo, neque verbo, sed Christi exemplo, postquam ratio interpellat ad regem, sensualitatis velut amica, sine interpellatione se subdat superno iudici, dicens: *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

1391 Nec tamen mysterio vacat quod hanc orationem ineffabilem triplicat, ut, videlicet, Trinitas significaretur in omnibus gestibus eius; nam et Patri oratio fundebatur quam ipse Filius in assumpta humanitate fundebat, atque Spiritui remittebatur, quem dicebatur: *Non mea, Pater, sed tua voluntas fiat.* In lege utique scriptum est (DEUTERON. XIX): *in ore duarum, vel trium testium stat omne verbum.* Proinde Christus ex tribus assumptis testibus, et totidem actibus esse verum asserit, quod agebat.

1392 Salvator igitur prima vice, oratione peracta, non accipiens ut homo responsum, ut homo verus patens, et tædio se afficiens, reversus est ad illos tres quos secum sustinere et orare et vigilare fuerat exhortatus: unde subditur: *Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes. Propterea dixit Dominus Petro: sic Simon dormis? qui, scilicet, vigilare corpore, et animo promissisti? non potuisti una hora vigilare mecum?* id est, cum adiutorio meo? Atque omnes tres exhortando subdit: *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.* Nec, secundum Hieronymum ait, ut non tentemini; quia impossibile est humanam animam non tentari; sed inquit: *Ne intretis in tentationem,* id est, ne tentatio superet vos, ad vigilantiam et sustinentiam eos iam supra praemonuit: orationem vero nunc superaddit, quoniam per ipsam, et ex ipsa, et in ipsa tota virtus et actio nostra invalescit et crescit, atque avertit tentationis introitum, quamvis ipsius non prohibeat actum. Scilicet unde deberent id timere ostendit, subdicens: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma;* quasi dicat: Spiritus quidem vester promptus est; scilicet, vigilare, ac sustinere mecum, et me confiteri, et non negare, sicut paulo ante dixistis: sed caro vestra infirma est, et in tantum, quod promptitudinem spiritus deprimit, et retundit. Hoc autem aliis verbis Apostolus ad Galat. v. cap. declarat, dicens: *Caro enim concupiscenti adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur, ut non quaecumque cupitis illa faciatis.*

1393 His dictis, Salvator agonista promptissimus secundo abiit ad orandum, eundem sermonem di-

cens. Invariabilis est oratio Christi, et formam nobis orationis ostendit, ne mens orantis labatur in multa; variatio enim petitionum instabilis animi iudicium est. Et responso nullo accepto, referente Scriptura, per modicum interpellat orare, reversus tamen ad piam, et utilem actionem: nam venit confortaturus discipulos suos quos in pugna debiles cognoscebat.

Oportet siquidem quandoque orationem intermittere pro utilitatibus proximorum; maxime ubi spiritualia bella insurgunt, ne, scilicet, invisibilibus ab invisibilibus inimicis in spiritualibus castris detur inopinata conflictus. Ecce, intermittit orationem Christum, non tædio affectus orandi, sed remedio aliis providendi.

Veniens ergo ad discipulos suos, invenit eos iterum dormientes. Ecce, quod caro infirma contra spiritum invalescit. Dormierunt qui in proximo vitam negaturi erant. Saepe etenim malum futurorum praesagium est malorum, ac saepe peccatum peccati alterius initium est. Dormitionis vero causam Evangelista conscribit, dicens: *Erant enim oculi eorum gravati.* Mystice enim oculi sunt lucidae, ac fervidae intelligentiae mentis, qui ad pondere sensualitatis, aut onere iniquitatis gravantur. Sensualitatis quidem gravamen sentiebat Iob 7 cap., quem dicebat: *Factus sum nihilmetipsi gravis.* Iniquitatum quoque onere gravabatur Propheta, quem ait: *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.* Apostolorum igitur oculi gravabantur, quo mentis oculorum segnitias demonstrabatur. Et ignorabant quid responderent ei. Alie quidem promittens, et in promissione succumbens, legitima responsa non habet; maxime si facilis est promissio, aut si leve est quod exigitur ab amico. Promiserant Apostoli Christo in morte societatem, ipse vero facilem vigiliam exiebat. Hac siquidem vice Salvator Apostolis nihil dixit, sed, ipsis aspectis, recessit.

1396 Rediens igitur ad orandum Christus Iesus, oravit tertio eundem sermonem dicens. Eundem sermonem dixit qui eundem immutatum animum possidebat: non pro removens pertinacior passione, sed pro sua conformi voluntate cum Patre pandenda. In hac siquidem trina oratione factus est in agonia, et prolixius orabat. Factus est autem in agonia, quando sensu carnis, et animae virtute acrius decerebat, longioris quoque temporis spatium protelavit sermonem. Timor namque, et amor prolixius hominem quandoque facit orare. Tanta denique fuit in Christo orationis vehementia, atque tam horribilis in anima eius sensibilis imaginatio mortis, ac mentis admirabilis agonia, quod sicut Lucas xxii, refert, *factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.* Et, licet plena

ratio naturalis non possit reddi de tam stupendo doloris signo ostenso in sudore sanguineo, nihilominus dici potest quod aliquiliter dispositive timor, et amor bellantes in corde Iesu quoad suum sensitivum in causa extiterunt: dum enim attenderet tam grave bellum super se verissime imminere, timore concussit sensitivum suum, ex quo sanguineus humor fuit ad interiora reductus.

1397 Super hunc autem timorem reiciendum fortissimus, et ferventissimus amor, tamquam mirae magnitudinis malleus, repercutiens, et ipsum excludens, omnes poros Corporis Iesu Christi, et venam largiter relaxavit, ut sic de toto corpore fluere sanguineus sudor decurreret in terram. Durum igitur, et invisibile bellum in illa Christi anima gerebatur, quando, velut ex percussione, per corporis poros eius Sanguis decurrebat in terram. Et quia anima est in qualibet parte corporis tota, et est ipsius corporis vita; ideo, ad ostendendum immanentem doloris sui, debuit dolorem suum indicare in omnibus membris suis. Immensus quoque et ferventissimus amor in hoc etiam manifestatur. Saepe enim fervens ebullitio emittit ad extra. Proinde quantum Anima Christi charitatis igne in intus bulliendo ferveret scaturitio sanguinis clarius manifestat.

1398 Fuit nihilominus sudor iste partim rememorativus dolorum omnium, quos ab instanti conceptionis suae Dominus occultavit in corde suo, partim representativus illorum, quos in praesenti sustulit agonia, partim prognosticus, et figurativus tam illorum, quos in suo Corpore incontinenti sustinere debebat, quam etiam in successu temporis in corpore mystico, in quibus et ipse tamquam caput tunc patiebatur. Nam statim, sicut infra patebit, fervidus velut athleta bulliens amore, et triumphans fortitudine, sciens omnia quae ventura erant super eum, occurrit impiis, et implevit quod deerat dolorum in Carne sua. O quali ardore fornas Iesu succensa erat! quae sic Carnem suam totam in sudore relinquebat. Mystice enim Sanguis Christi decurrens in terram signum erat profusionis Animae eius per dilectionem ad humanam naturam, ut vila super mortem effunderetur, ipsam, videlicet, absorbendo: in sanguine quidem dicitur esse vita. Terra nempe mortalis Adam, et ex ea contracta propago est, super quam tota vita Christi decurrit, ut hoc mortale compositum absorbeatur ab ea.

1399 Convertere igitur, anima mea, ad piam, et devotam considerationem Filii Dei Iesu, et velut praesentem in speculo Evangelii eum positus genibus intueor orantem, vehementia mentis sudantem, et guttulis sanguineis circumfusum. Contem- plare hunc iuvenem genulexum, nec doorsum

vertentem faciem, nec erigentem ad coelum, de profundis sui cordis clamantem, et irrecusatam omnino perficientem orationem. Anima quippe super coelos condescenderat, quando Sanguis ex corpore emanabat rigans sub oculis terram nostram arenantem, et infocundam fructibus sanctae vitae: sicut qui de coelestibus, atque superna vitæ venerat eam excolere, ut focuenda non solum civibus coeli, verumetiam pastum gratum redderet Plasmatori. Decurrit etiam in terram sanguineus Christi sudor, ac rigatur terra divino cruore, ut terra nostri cordis pinguedine focuendetur. In cuius mysterium in villa Getsemani, quae villa pinguedinis interpretatur, effunditur in terram haec pinguedo salutis.

1400 Tertia contemplatio pertinet ad principium Dominicae passionis tria etiam continet de Domino Iesu Christo: primum est vehemens eius anxietas, secundum ardens eius charitas, tertium vigens eius magnanimitas.

1401 Primum est vehemens eius anxietas; nam, agonizante Christo, apparuit ei Angelus de coelo confortans eum, scilicet, ex parte, ac iussione paterna. Advertendum est enim quod omnis apparitio Angelorum de qua textus sacer eloquitur, sive in somnis, sive in vigiliis, per speciem corporalem fuisse facta credi debet; species enim corporis obicitur sensibus: proinde Christo in forma hominis constituto Angelus in suscepta figura de coelo missus sensibus eius apparuit, et vocem emisit corporalem, per eandem subiectam figuram confortans eum, velut hominem in agonibus fatiscientem, et huiusmodi apparitio, et confortatio tota referatur ad formam servi penitus, et non Dei. Quid vero Angelus iste Christo dixerit confortans eum per evangelicam scripturam non claret: sed absque contradictione fidei relinquatur pie menti ut devote credamus huiusmodi Angelum confortationis verba decentia protulisse, sicut decebat dicere Angelum a Deo coelestem missum, et suscipere hominem Iesum Christum cum daemone, et diabolicis hominibus certaturum; quia ut homo, non ut Dei Filius, hanc confortationem accipiebat.

1402 Secundo in hac contemplatione continetur Christi ardens charitas; nam totus amore fervens, retractis aut quomodolibet absteris eius sudoribus admirandis, venit iterum ad discipulos suos, et invenit eos dormientes prae tristitia: in tali etenim causa tristitia reddit cor accediosum, et grave, et pervigili oratione prostratum, nisi grandis fervor, et rigor in sua arduitate retineat illud. De hoc enim Apostoli maxime tristabantur, quia Christus toties, et ita fortiter praedixerat eis se passurum et recessurum ab illis: unde Ioann. xvi, quum dixisset: *Vado ad eum qui misit me,* statim subiunxit: *Sed quia*

haec locus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Tristabantur, quia praedixerat eis quod omnes in nocte illa scandalizarentur in eo. Tristabantur quoque et merito, quia succumbebant defectibus, et deficiebant in promissis, nec soliti erant talia tolerare. Indulget Salvator infirmam materiam. Concedit absque vitio sensualitati quod sua importunitate deposcit; propterea inquit discipulis suis: *Dormite iam et requiescite*. Ecce quod discipuli cito dormiunt; in quo maxime eorum infirmitas patet.

1403 Tertio in hac contemplatione ostenditur Christi vigens magnanimitas; unde Salvator, post aliquantulum quietem, continuo intulit, dicens: *Sufficit*, scilicet, quod iam usque nunc dormistis; statimque subnectit causam, dicens: *Veni hora, ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, evanescite: ecce appropinquat qui me tradet*. Sed quae hora venit? utique passionis, et ostendendae virtutis, et aeterni propositi declarandi. Praedixerat enim Matri (IOANN. 11): *Nondum venit hora mea*: Praedixerat etiam cognatis suis, scilicet, fratribus, et aliis non discipulis (IOANN. VII): *Tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum*. Praefatum quippe erat infallibiliter quo tempore tradetur, ligaretur, pateretur, et crucifigeretur. Tradi non potuit, nisi quum voluit: ligari, nisi quum permisit; neque pati poenas et mortem, nisi quum consensit. Accessit ille ad passionem, et passionibus super se dominium dedit. Propterea intulit: *Surgite, evanescite*, ad eos qui veniunt me capere. *Ecce appropinquat qui me tradet*; quasi diceret: voluntarie accedamus; sumus enim illis virtutibus fortiores, usque impresantiarum hora non fuit.

1404 Non enim mori infans debet, dum illum quaerebat Herodes, non puer, non juvenis, quousque spatium vivendi mundo personalem veritatem innotesceret, atque vitam, ne quaedam delusio crederetur. Non mori debet in aetate tenera, ne, interrogatus, in respondendo aetatem transcendere videretur, quoniam ab instanti conceptionis suae omni tempore eandem sapientiam habuit; aut subterfugendo fatuitas, aut phantasia aestimaretur. Sed nihil fecit, aut dixit tempore vernantis aetatis, et quo moles corporis sumebat augmentum. Nulla causa offensionis, et mortis Iudaeis praesto erat. Ante perfectam aetatem talia quae postmodum fecit facere non debet. Perfectio enim doctrinae, operum, et miraculorum eius nedum virtutibus plenum, sed etiam virum perfectae requirebant aetatis. Primo condendum erat Evangelium: praedicandum etenim erat antea Dei regnum; exempla praeroganda sequentibus, et in ipso summo disciplinatu danda erat omnibus vivendi forma. Qui

enim plenitudinem temporis expectavit Incarnationis, atque nativitas, horam similiter exspectavit passionis, et mortis.

1405 Prima contemplatio pertinet ad processum Domini in aetate, tria etiam de Christo in se comprehendit: primum est eius proditio, secundum eius mansuetudo, tertium eius admiratio.

1406 Primo enim ostenditur eius proditio; insidiosae nempe ambulat dux iniquae cohortis, atque nefandae: unde, *adhuc eo loquente*, scilicet, Christo cum Apostolis; nam reversus erat cum tribus ad alios octo, *venit Iudas Iscariotes unus de duodecim, et cum eo herba multa cum gladiis, et fustibus, facibus et lanternis missi a Principibus Sacerdotum, et senioribus populi*. Ecce dux in praecipis: ecce obstinata malitia: ecce animus inquietus, et impatiens feritas, quae, nisi perficitur concepta mala, non dormit. Reciperat pecuniam, quia Christum Iudaeis vendiderat tanquam venale mancipium: et villi expositi pretio coram Iudaeis hominum vitam, ex quo tam diram, et duram perveri propositi obstinationem incurrit, ut nec familiaritate contubernii, nec humilitate obsequii, nec suavitate colloqui a concepta malitia potuerit revocari. Cohortem acceperat, ut Christum, circumdatus turba, de ipsorum manibus omnino elabi non posset. Cum gladiis, et fustibus, et armis veniunt, ut removerent percussioibus prohibentes. Cum facibus, et lanternis, quia in vero lumine Christo excaecati erant. Veniunt quoque nocte, sicut aeterna nocte damnandi, decepti nocte peccati.

1407 Vide apparatus iniquitatis, quae nihil onitit expediens ad suam nefariam actionem. Considera promptitudinem amoris Christi: corde manet impavidus, pericula non timet, quamvis caro assumpta subdita sit terrori. Nihil perhorrescit, quum amor sequitur effectum, qui solum genus humanum a periculis aeternis suis tormentis transitoris disposuerat liberare: vehementer enim amor cuncta pericula spernit, si praevident non inani spe vota posse sortiri. Missi erant ministri detestabiles a Principibus Sacerdotum, Scribis, et Senioribus populi. Erat in auctoritate iniquitas: Principes erant Sacerdotum, non Sacerdotii, qui iussa mala dederunt. Omne Sacerdotium sanctum, sed non omnes Sacerdos. Seniores autem et Scribae in hac mala causa offensionis, et mortis Iudaeis praesto erat. Sequentes, et ideo ipsi ad Christum occidendum se paraverunt crudeliter. Traditor vero, et arius huius mali conventus, quia noverat quod Christus erat cum discipulis suis, ad maiorem scleris certitudinem, ne, scilicet, Christo subterfugiente, aliquem pro eo caperent discipulorum, secundum consuetudinem quam servabant discipuli in reverentia ad Christum, signum dederat pacis, qui de

capiendo Christo crudelem legationem acceperant, dicens: *Quicumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite eum*. Et quum venisset, fingens non venire cum satellitibus illis, *confestim accedens osculatus est eum dicens: Ave, Rabbi*.

1408 O horrenda nequitia animae scleratae! praemitit salutacionem ei quem in mortis damnationem inducit. O improba iniquitas malae mentis! vocas magistrum, cuius doctrinam iam procaeter contentis. O stupenda malignitas proditoris! Oscularis sanctum os, et virtutem eius non sentis. Verificatur in te sententia Origenis qui ait: Omnes proditores veritatis se fingunt amicos, et libenter oculi signo utuntur. Non oblitus tamen Dominus misericordiae suae, dulciter eum ad poenitentiam vocans, ait illi: *Amice, ad quid venisti?* Amicum vocat, eo quod ipse non desinat amari. Sed addit: *Ad quid venisti?* quasi diceret: Oscularis, et insidiaris, Iuda, homo pacis meae, in quo speravi: osculo Filium hominis tradis? O benignitas Salvatoris! vide quam dulciter corrigit proditorem, ut scelus, et modum quo perficit ipse consideret. O proditio nequam! osculum quod reconciliatorium est signum pro discordia irrogatur, et innocens Sanguis funditur sub osculo pacis.

1409 Secundo subditur Christi mansuetudo; unde, quum Iudas pro signo laetifero ori Christi osculum impressisset, cum ceteris se retraxit. Illis vero stantibus velut attonitis a quadam divina virtute percussis, Christus mansuetudine plenus procedens ad eos, dixit: *Quem quaeritis?* O consummata charitas! quae foras mittit timorem, et mortis excludit horrorem. O bone Iesu, quid facies amicis te in veritate quaerentibus, qui inimici ad mortem te quaerentibus sponte te ipsum tradis? *At illi responderunt*, terribiliter intonantes, ac dicientes: *Iesum Nazarenum*; ut verificetur quod scriptum est per Prophetam (PSAL. XXI): *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rabiens et rugiens*. Quibus ipse adiecit: *Ego sum*. Deum se esse demonstrans, sicut prius dixerat (EXOD. III): *Ego sum qui sum*. Qua responsione audita, *cecidit retrorsum*, eo quod dedit Pater ei vocem virtutis, ut, scilicet, doceat ignaros, suscitaret mortuos, infirmitates morbosque depellat, fuget daemones, et male ausos terreat inimicos.

1410 Quid ergo faciet in iudiciaria potestate pro distinctione varia meritorum, quando sic terruit cohortem improbam, quum adhuc esset in numero mortuorum? Ceciderunt ergo retrorsum, ac supinuli fuerunt ad coelum, ut saltem recognoscant virtutem desperare esse terrentem, et de coelo descendisse quem venerant ligaturi: perdidit potentiam, sed non saevitiam. Nec resumere potuissent, nisi vox quae abstulit reddidisset. Proinde interrogat eos iterum, dicens: *Quem quaeritis?*

omnino se offerens ad iniustam captivam: qui similiter responderunt: *Iesum Nazarenum*. Dixit eis Iesus: *Dixi vobis quia ego sum*. Si ergo me quaeritis, simite hos abire. O in praevicia virtutis constantiam magnam! quae inter pariter tribulationum suarum obita, de proximis gerit curam, dicens: *Simite hos abire*.

1411 Discipulis ergo quodammodo relicti intactis, excepto dumtaxat qui syndonem qua solum cingebatur reliquit, qui captus profugit nudus; in Christum impias manus crudeli audacia incurrunt, et ligaverunt eum, prohi scelus! velut iniquum qui solvere venerat compeditos. Fuerat enim ab aeterno praedestinatum ut ex iniustis vinculis Christi iusta nostra vincula solverentur. Christus igitur Dominus captus est in peccatis nostris, ut dicitur Thren. IV.

1412 Sed dum haec impia mysteria agerentur, discipuli ad Iesum dixerunt: *Domine, si percutimus in gladio?* Qui respondit: *Sinite usque huc*, quasi diceret: Intermittite vos prohibere laedentes quousque patiar, quoniam ad alios, et in aliud tempus reservatur iudicium ultionis; quia nunc tempus est patiens, non ultionis. Sed nec expectato responso Domini Salvatoris, *Petrus exivit gladium, et percussit Pontificis servum, et abscondit auriculam dextram: erat autem nomen servo Malchus*. Quod autem dextera praedixit auriculam magnum nobis indicat sacramentum, quum non humana, sed divina providentia factum est. Nam abscondit dexteram auriculae servi absconitionem praenunciat rectae obedientiae Iudaeae servituti. Ad auriculam quippe refertur obedientia, sicut Propheta (PS. XVII) ait: *In auditu auris abscondit mihi*. Sed ad dexteram obedientia pro coelestibus recta quam omnino perdidit servilis conditio Iudaeorum; cui tandem in fine saeculi Christi virtute restituitur. *Tunc ait Iesus Petro: Mille gladium tuum in vaginam; aut, converte gladium tuum in locum suum*; locus enim proprius gladii est vagina, non hominis caro, nisi pro corporali, aut spiritali morbo gladio opus sit. Et subdit Dominus: *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt*, quia ad culpam iusta multatio annexitur.

1413 Subdit quoque Dominus, dicens: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum?* Dedit Pater Filio calicem amarissimae passionis, quum ipse usque ad fundum exhausit, pro eo quod Pater dedit, cuius voluntati nihil statuit praefendum. Oraverat iam in hortu, ut talis calix amoveretur, et inexcanditus abesset, decreto manente paterno ut ipse calicem biberet passionis, quasi diceret: Pater dedit mihi calicem, non alteri, redimendi: quis bibet quem ego bibiturus sum? non vis tu creatura quod vult ipse Creator tuus? Su-

binfert Christus, quoniam conformitate paternae voluntatis, et suae libens patitur, quum ait: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plquam duodecim legiones Angelorum?* Si iam oraverat in horto, nec exauditus erat, quomodo ergo dicit *modo exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Dicendum quod tunc pro sensualitate interpellabat ad Patrem, quam statim subdit rationi, rationemque paternae suppositus voluntati. Nunc vero dicit: Si certandum esset, si haec paterna voluntas non decrevisset, si protinus ipse calicem non dedisset, non indigerem auxilio hominum terrenorum qui habere possum exercitus Angelorum. Statimque subiungit: *Quomodo ergo implebuntur Scripturae Prophetae, quia sic oportet fieri?* Hoc quidem intelligendum est, quia oportet non de absoluta necessitate, saltem respectu Personae Christi, sed consequente, scilicet, si volo mundum redimere, et paternae voluntati parere. Oportet etiam sic fieri, praesupposita praedestinatione divina: nam sicut me pati ab aeterno disposuit, sic prophetari ante tempus fecit, ut potius passio sit causa prophetae, quam scriptura prophetica fuerit causa passionis. Hoc siquidem divini iuris ordo posebat, ut tanti Regis mysteria in mundo futura per Prophetas idoneos multis anteaetis temporibus nota fierent. Iam igitur Christus circumdatus mala cohorte, perfectus in omnibus, iam inimicis restituebat bona pro malis; propterea subditur: *Et quum tetigisset auriculum eius, sanavit illum, scilicet, Pontificis servum.*

1414 O maledictus furor, et pertinax saevitia impiorum, quae nec maiestatis miraculo, nec pietatis beneficio a concepta malitia potuit revocari! Hoc tamen in mysterium factum est, ut reparatio humani generis mali servi ex Christi passionibus appareat provenire. Restituitur auri dextera, ut intelligentia vera, et obedientia recta oriri appareat ex passionibus Iesu Christi.

1415 Tertio quoque subiungitur Christi admiratio, propterea subditur: *Dixit Iesus ad eos qui venerant ad se Principes Sacerdotum, et magistratus templi, et seniores: Tanquam ad latronem existis cum gladiis, et fustibus comprehendere me? quotidie apud vos sedebam, docens in templo, et non me tenuistis: captivum siquidem Christi modus, et tempus ipsius iniuriam plus deponunt, quam velut lato, et nocturno tempore captus sit qui in die quotidie palam febat. Sed quales in animo essent tempus malefactionis ostendit, quoniam (IOANN. III) Dominus, ait: *Qui male agit, odit lucem.**

1416 Ecce igitur Principes, et magistratus, et seniores personaliter progrediuntur ad nefas, atque furentes omnino furem continere non valent; nec Christi

cruciatibus satiantur, nisi oculorum praesentiam praestent; et qui per malos subditos poterant crudelia perficere, ut magis satentur ex iniuriis Christo illatis, volunt personaliter interesse. Et licet de tota captione essent merito increpandi, et hic quodammodo increpentur, tamen specialiter Christus arguit eos de modo quem tenuerunt; tum quia occulte venerunt, tamquam ad latronem qui fugere vellet, quum ipse se eis in publico continue exhiberet: tum quia venerunt cum armis, quum ipse semper staret inter eos simpliciter, et inermis. Sed non ceperunt eum in templo docentem quod fide, turbarum verentes tumultum. Tamen altiori mysterio factum est, ne Christus docens caperetur in templo, in quo nec etiam potuit lapidari: in quo libertas doctrinae, atque verborum Dei praefigitur; quia verbum Dei non est alligatum, nec conclusum fuit aliquando funibus tyrannorum.

1417 Addit quoque Salvator noster: *Sed haec est hora vestra, et potestas tenebrarum, ut tenebrositas mentis tenebrositate temporis innotescat.* Nam tenebrarum hora est in qua peccata patrantur, potestas vero qua perficiuntur. Subdit etiam: *Hoc autem totum factum est, ut impleantur Scripturae Prophetae.* Dicit autem *Prophetarum, ut innuat quod non solum in uno, sed in omnibus Prophetis continentur mysteria Dominicae passionis.*

FERIA TERTIA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XXI, 10-17.

In illo tempore: Cum intrasset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas, dicens: *Quis est hic?*

11. Populi autem dicebant: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.*

12. Et intravit Iesus in templum Dei, et eiecit omnes vendentes et ementes in templo: et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.

13. et dicit eis: *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

14. Et accesserunt ad eum caeci et claudi in templo, et sanavit eos.

15. Videntes autem principes sacerdotum, et Scribae, mirabilia quae fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: *Hosanna filio David: indignati sunt,*

16. et dixerunt ei: *Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Ubiq; numquam legis? Quia ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem?*
17. Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam: ibique mansit.

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.
HOM. QUADRAG. FER. III. POST INVOCANT

1418 **D**OMINUS et Deus, auctor et reparator humani generis Christus, ante mundi constitutionem prae-elegerat cum Patre, et quando, et ubi pateretur pro salute hominum. Impleta ergo huius temporis plenitudine, instante iam passione, appropinquare voluit loco passionis, ubi inveniri posset ab his, per quos eadem passio erat celebranda, ne quasi refugiens mortem aestimaretur. Non enim metuebat mortem, sed potestate imperabat morti. Ait ergo Evangelista:

1419 *Quia cum intrasset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?* Ad ingressum Salvatoris commota est civitas, admirata est populi frequentia, ignorans Domini intrantis virtutem atque potentiam. Simile quid et in eius ascensione de angelis legimus, qui dum triumphali pompa ascendentem cernerent, et carnem iam glorificatam ad coelos vehementem, admirantes dicebant: *Quis est iste rex gloriae?* Notandum vero quod ante sex Paschae, sicut alius Evangelista dicit, venit Dominus Bethaniam, ubi Lazarum suscitaverat, atque in crastinum asino sedens, turbis divinas laudes acclamantibus Ierosolymam ingressus est, quod olim in Paschali agno mystice fuit praesignatum. Scriptum namque est in lege:

1420 *Decima die mensis primi tollat unusquisque agrum per familias et domos suas, et servabit eum usque ad quartum decimum diem mensis huius, immolabitque eum omnis multitudo filiorum Israel usque ad vesperam.* Ergo sciendum hanc de Paschali agno prophetiam, Dominus Iesus decima die primi, hoc est, ante quinque dies Paschae, civitatem Ierosolymam ingressus, coniurante adversus se seniorum principumque concilio, prae-

stolabatur horam qua pro mundi salute Deo Patri se in odorem suavitatis hostiam offerret.

1420 *Populi autem dicebant: Hic est Iesus a Nazareth propheta.* Superbis Iudaicis quisnam esset, qui cum tanta gloria civitatem intrabat, interrogantibus, simplex turba quod noverat, fatebatur. *Hic est, inquit, Iesus propheta.* Prophetam appellabant, quia errabant, et quid dicerent, ignorabant. Nesciebant enim eum Deum aut Dei Filium appellare, sed error eorum perfecta scientia plenus erat. Nam Moyses de eo dixerat: *Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, illum audietis tanquam me.* Et ipse de se loquitur: *Non caput perire prophetam extra Ierusalem.* Ita vero accipiendus est propheta, ut sit Dominus prophetarum, sicut est rex regum, et Dominus dominantium.

1421 *Et intravit Iesus in templum.* Quod Dominus in civitatem ingressus, primo templum adiit, formam religiosae conversationis, quam sequi debeamus, ostendit. Cum enim oppidum vel castellum, sive aliquem locum, ubi domus orationis Deo sit consecrata, ingredimur, prius ad illum festinare debemus: et postquam nos per orationis studia Deo commendaverimus, sic demum ad ea, quae necessitas fragilis vitae exigit, peragenda negotia potius accedamus.

1422 *Et coepit eieere vendentes in illo et ementes, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.* Inter omnia miracula, quae Dominus in mundo corporaliter gessit, hoc praecellentissimum et maximum est. Plus enim fuit (ut dicit B. Hieronymus) hoc, quod unus homo inermis multa millia armatorum de templo eiecit, quam quod Lazarum quatruiduanum a mortuis suscitavit. Fulgor enim divinitatis resplendebat in aspectu humanitatis, atque id eo

videntes insolitam claritatem in facie hominis radiantem, intuentes terga caedenti dabant, et resistere non audebant.

1423 *El dicit eis: Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Domus illa Dei ad hoc a Salomone primum, et postea Iesu sacerdote et Zorobabel constructa fuerat, non quod Deus in manufactis templis habitet, sed ut ibi nomen eius invocetur: ibique devotae plebis orationes audiret, vota suscipere, munera et oblationes acceptaret. Sed illi eam speluncam latronum fecerant, quia ad hoc in templo residebant, ut aut non dantes munera corporaliter punirent, aut dantes spiritaliter necarent. Legis siquidem praeceptum erat, ut ter in anno convenirent omnes ex diversis regni Iudaici partibus, ad augustissimum et sanctissimum in orbe templum, in Pascha videlicet, Pentecoste et Scenopogia: et eiusdem legis praeceptum erat, ne vacui in conspectu Domini apparerent. Et pleurumque contingebat, ut qui de remotioribus partibus veniebant, non haberent quod in sacrificio Domini offerrent: quia ad longitudinem itineris secum pecora sua adducere non valebant. Proinde sacerdotes habebant pinguisima animalia, quae usus sacrificii exposcit, et ea non habentibus vendentes, accepta pecunia rursus empta suscipiebant: hoc modo praedam de simplici populo facientes. Verum erant quidam ita pauperes, qui etiam sumptibus et victu indigebant, et non solum hostias, nec eas unde emerent, habebant. Ad hoc idem sacerdotes nummularios in templo statuerunt, qui mutuum eis sub hac occasione pecuniam darent. Sed quia lex usuras prohibuerat, nec aperte eis duplicatam pecuniam exigere poterant, excogitaverunt, rursus aliam fraudem, ut pro usuris reciperent varias species

munerum, uvam passam videlicet, et diversi generis poma: ut quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent, quae nummis emuntur: hos appellabant ipsi proprio sermone collybistas, qui collubia, id est, villa munuscula dabant, quae graece tragemata, latine bellaria dicuntur.

Istiusmodi negotiationes et fraudes 1424 cernens Dominus in domo Patris sui fieri, sicut beatus Ioannes dicit, facto flagello de resticulis, innumeram multitudinem de templo eiecit. Attendant istud Ecclesiae sacerdotes, et caveant ne domum Dei in speluncam latronum vertant. Latro enim est, qui lucra de religione sectatur, et ex cultu sanctitatis studet occasioni negotiationis. Proinde metuendum est illis, ne sicut illi de templo materiali eieci sunt, ita isti de templo spiritali eiciantur. Quotidie enim Dominus domum Patris sui, sanctam videlicet Ecclesiam, intrat, et occupatos lucris turpibus eiecit, atque unius criminis habere vendentes pariter et ementes. Vendentes enim sunt, qui sacros ordines ad praemium largiuntur: ementes vero, qui pro iustitia pecuniam tribuunt, et dato pretio patronis emunt peccatum. Notandum vero quod dicitur: *Mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.* Quid enim per mensas nummulariorum, nisi altaria intelliguntur, quae per avaritiam malorum sacerdotum mensae efficiuntur nummulariorum? Quid vero per cathedras vendentium columbas, nisi magistralis dignitas in Ecclesia accipitur, quae et ipsa cum ad lucra deflexerit, ad nihilum redigitur? Quid vero per columbas nisi Spiritus sanctus accipitur, qui super Dominum baptizatum in columbae specie apparuit? Qui autem sunt qui columbas vendunt, nisi hi qui Spiritum sanctum per manus impositionem ad praemium tribuunt? Sed Dominus cathedras

dras vendentium columbas evertit, quia altarium sacerdotum destruit. Quicumque enim Episcopus gratiam Spiritus sancti venderit, etiamsi nunc in conspectu hominum pontificali stola fulgere videatur, iam ante Dei oculos sacerdotio privatus est. Hinc et sacri canones simoniacam haeresim anathematizant, et sacerdotio privari praecipunt eos, qui pro spiritali gratia impensa quaerunt pretium. Moraliter: Sicut in civitate templum ceteris aedificiis praecinet, ita in plebe fidelium vita religiosorum. Templum ergo Dei, est ipsa mens fidelium, dicente Apostolo: *Vos estis templum Dei, et Spiritus sanctus habitat in vobis.* Haec igitur mens fidelis, si relicta innocentia in laesionem proximi perversas perfert cogitationes, spelunca utique latronum efficitur: nec iam domus orationis vocatur, sed latibulum latronum: nam illud meditatur agere, unde proximo suo possit nocere. Non ergo sit in domo pectoris nostri negotiatio, non ementium vendentiumque commercia, ne iratus Iesus intret, et flagello districtae severitatis puniat concretas sordes suae mansionis.

1425 *Et accesserunt ad eum caeci et claudi in templo, et curavit eos.* Eiectis indignis et prophanatoribus templi, caecos et claudos mirabiliter sanavit, ut per hoc virtutis suae, suis adversariis daret iudicium, et vocem se laudantium puerorum, Hosanna in excelsis clamantium, tali testimonio confirmaret: ostendens opere, quod illi vocibus consonabant, simul etiam visa Christi tanta potentia converterentur, et crederent. Ideo enim illis cernentibus caecos illuminavit, ut illi fidei lumen reciperent: ideo claudos direxit, ut isti claudicationem mentis abicerent, et meliores pedes in recta operatione habere inciperent. Videntes autem pueros clamantes in templo: *Ho-*

sanna, benedictus qui venit in nomine Domini, dixerunt:

1426 *Audis quid isti dicunt?* Indigne ferentes, quod Christo quasi divinas laudes, et quae soli Deo conveniunt, acclamarent. Verum Dominus ita responsum suum ex omni parte praemunivit, et quod diceret, ita temperavit, ut nec calumniatoribus insidiis pateret, vel laudes illas, quae quasi a pueris errantibus sibi deferrentur, abiceret. Non enim respondebat, quod illi audire volebant: Bene dicunt pueri, iuste de me sentiunt. Nec rursus, ait: Erant pueri, debetis ignorare incitiae: sed respondit, *Audis;* sique voces illorum testimonio, Psalmodographi confirmavit dicens: *Numquid legistis: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* Deus enim Pater ex ore infantium et lactentium laudem perfecit: quia per simplices et innocentes Filio suo testimonium perhibuit, per quod inimicos suos Iudacos infestissimos persecutores, evidentissime confudit. Et relictis illis abiit foras in Bethaniam, quae domus obedientiae interpretatur. Quoniam primo monstrabatur, quia synagogam erat relicturus, et ad domum obedientiae, hoc est, ad Ecclesiam gentium transiturus. Simul et illud intendum, quod ita pauper erat, ut nec tugurium haberet: ita nulli adulabatur, ut in tanta urbe, tamque populosa a nemine reciperetur. Et die quidem in Jerusalem praedicabat, sero vero revertebatur Bethaniam, ubi erat amicus eius Lazarus cum Martha et Maria sororibus. Felices certe, multumque beati, qui Dominum hospitem habere meruerunt, cuius praesentia tristitia cuncta movebatur, salubria iucundaque omnia providebantur. Sed et illi nihilominus felicissimi summeque beatissimi, qui ita se ab omni malitia castos immunesque custodiunt, ut illos Dominus inhabitare, et apud eos

manere dignetur. Hoc ergo votis sedulis, hoc sanctis desideriis exposcamus, ut ita in nobis universa vitia, et quidquid foedum, quidquid aspectibus suis est indignum, expurget, sic nos virtutum floribus exornet, quatenus penetralia cordis nostri aptissimum sibi habitaculum efficere dignetur, Dominus et Redemptor noster Iesus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

1427 Quod maledicendo ficum infructuosam per figuram fecit Dominus, hoc idem mox apertius ostendit eiciendo improbos e templo. Neque enim aliquid peccavit arbor, quod esuriente Domino poma non habuit, quorum necdum tempus advenerat: sed peccavere sacerdotes, qui in domo Domini negotia saecularia gerebant, et fructum pietatis, quem debebant, quemque in eis Dominus esuriebat, ferre supersederant. *Arefecit Dominus arborem maledicto*, ut homines haec videntes sive audientes, multo magis intelligerent sese divino condemnandos esse iudicio, si absque operum fructu de plausu tantum sibi religiosi sermonis, velut de sonitu et tegumento blandirentur viridantium foliorum. Verum quia non intellexerunt, in ipsos consequenter distractionem merita ultionis excruciat, et eiecit mercem rerum humanarum de domo illa, in qua divinas tantum res agi, hostias et orationes Deo offerri, verbum Dei legi, audiri et decantari praeceptum erat. Et quidem credendum est, quia ea tantum vendi vel emi repererit in templo, quae ad ministerium necessaria essent eiusdem templi, iuxta hoc quod alias factum legimus, cum idem templum ingrediens invenit in eo vendentes et ementes oves et boves, et columbas. Quia nimirum haec omnia non nisi ut offerrentur in domo Domini, eos qui de longe vene-

rant ab indigenis comparare credendum est. Si ergo Dominus nec ea volebat venundari in templo, quae in templo volebat offerri, videlicet propter templum avaritiæ sive fraudis, quod proprium solet negotiantium facinus: quanta putas animadversione puniret, si invenisset ibi aliquos risui vel vaniloquio vacantes, aut alii cuilibet vitio mancipatos? Si enim ea quae alibi libere geri poterant, Dominus in domo sua temporalia negotia geri non patitur, quanto magis ea quae nusquam fieri licet, plus coelestis irac merentur, si in aedibus Deo sacratis aguntur? Verum quia Spiritus sanctus in columba super Dominum apparuit, recte per columbas sancti Spiritus charismata signantur. Qui autem sunt in templo die hodie, qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet impositionem Spiritus sanctus coelitus datur? Columba ergo venditur, quando manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium praebetur. Sed Redemptor noster cathedras vendentium columbas evertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Hinc est, quod sacri Canones Simoniacam haeresim damnant, et eos sacerdotio privari praecipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quaerunt. Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quia ei qui spiritalem gratiam vendunt, vel ante humanos, vel ante Dei oculos sacerdotio privantur.

1428 *Et non sinebat, ut quisquam transferret vas per templum.* De vasis dicit illis, quae mercandi gratia inferebant. Ceterum absit, ut vasa Deo dicata Dominus eiceret de templo, vel introferri prohiberet in templum, ubi futuri sui examinis insigne praetendit exemplum: sed potius immunda et prophana eliminat vasa de templo, ac ne amplius inferan-

tur, prohibet: quando non solum de Ecclesia omnes repellit ac deturbat reprobos, verum etiam ne ultra ad turbandam Ecclesiam intrent, aeterno eos verbere compescit. Sed et in praesenti haec est vera domus Domini, id est, cordis fidelium purificatio, ut non tantum peccata, quae inerant, divinitus immissa compunctio tollat, sed etiam ne haec ultra repetant, divina in eis gratia perseverans adiuvet.

1429 *Et docebat, dicens eis: Nonne scriptum est: Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Omnibus, inquit, gentibus, non uni genti Iudaicae, nec in uno Ierosolymae urbis loco, sed in toto orbe terrarum, et nequaquam taurorum et hircorum et arietum, sed orationis.*

1430 *Vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Qui ad accipienda munera in templo residebant, profecto quin quibusdam non dantibus laesiones exquirent, dubium non erat. Domus ergo orationis spelunca latronum facta fuerat, quia ad hoc in templo assistere novebant, aut non dantes munera studebant corporaliter persequi, aut dantes spiritaliter necare. Templum quoque et domus Dei, est ipsa mens atque conscientia fidelium, quae si quando in laesione proximi perversas cogitationes profert, quasi in spelunca latronum resident. Et simpliciter gradientes interficiunt, quando in eos, qui in nullo rei sunt, laesionis gladius defigunt. Mens enim fidelium non iam domus orationis, sed spelunca latronum est, quando relicta innocentia et simplicitate sanctitatis, illud conatur agere, unde valeat proximis nocere.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSIS, VOL. I, SERM. 51).

1431 **S**ECUNDA contemplatio pertinet ad processum Dominicæ passionis tria etiam de Christo in se comprehendit: primum est Christi comprehensio, secundum eius examinatio, tertium Petri negatio.

1432 Primum est Christi comprehensio; et de hoc subditur: *Cohors ergo, et tribuni, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum, et ligaverunt eum.* O sine gemitu quis audire posset qualiter in illa hora homicidas manus in Regem gloriae iniecerunt truculenti fectores, et innocentes manus mitis Iesu vinculis constringentes, ipsum agnum mansuetissimum non obloquentem, ad instar latronis furibunde comprehendunt, qui Deitate omnia comprehendit, et ligant eum qui venerat solvere omnes a vinculis peccatorum, et a compediibus daemone infernalis extrahere compeditos? secundum enim Bernardus postquam ceperunt, et corpus baculis pungebant, et percutiebant, exercentes in eo bestialitatem crudelitatis suae: quo viso, omnes discipuli, eo relicto, fugerunt, ut ex hoc manifeste clarescat quod illi impii tam dure et crudeliter se habebant ad Dominum Iesum Christum, quod columbae coeli contremisere habuerunt.

1433 O mira fragilitas conditionis humanae! tempore persecutionis a suis discipulis relinquitur Christus quos praedocuerat, et cautos fecerat, qui omnes sponderant secum usque ad mortem in tribulationibus permansuros. Fugerunt enim velut volatilia inter quae iacitur lapis improvise per semitas aeris volitantia, quae in summitatibus, et ramusculis arborum se tollunt quas ante non praeviderunt. Sic et Apostolicus chorus, fugiendo, in incertitudine refugii vagabatur. Adolescens quidam sequebatur eum amictus syndone super nudo, et tenerunt eum. At ille, relicta syndone, nudus profugit ab eis. Nec veritus est dilectus discipulus nuditatem, nec recordatus amoris cuius dulcedinem paulo ante bauserat inclinatus super Dominicum pectus, et quam gustare debeverat, quam gustavit Dominicum sacramentum.

1434 Secundo sequitur Christi coram Anna examinatione. Dicitur enim Iesus a satellitibus mortis ad Annam primum. *Hic interrogavit Iesum de discipulis, et de doctrina eius.* Interrogat de discipulis quos credit hebetes, quia sequuntur. Interrogat, ut discat an nobiles, vel gregarii sint, ut ex conditione discipulorum saeviat in magistrum. Necnon in auctoritatem qua congregaverat intendebat, quam iudicio suo propter decretum Pontificum, et Sacerdotum nemini liceret sub nova doctrina discipulos congregare. Proinde interrogat eum etiam de doctrina. Ad perniciosam inquisitionem Annas se contulit, ac involvere vult Doctorem, non subdociilem

fieri. Id quoque agebat, ut perciperet si adversus Mosaycam legem, et traditiones templarias doctrina Christi aliquid intulisset, quum iam Salvator arguerit eos quod transgressi sint mandatum Dei propter traditiones suas. Ecce doctrina Christi humilitatis decore fulget, quae, quum sit divina, sub hominum iudicio ventilatur.

1435 *Salvator autem ad Inquisita respondet, dicens: *Ego palam locutus sum mundo*: occulta nempe doctrina superstitione plerumque perfunditur, et virtutum utique habet annexum, si publicum timet. Non autem omnis occulta insinuatio sanctae doctrinae condemnatur, quae, scilicet, secreta manet, si ducatur in publicum, quae palam fieri non vitatur, ne deprehendatur in macula, quum sit ipsa immaculata necessitas, et causarum varietas saepe cogit ut lucerna quandoque paucis luceat in oculo, quae mallet lucem dare in manifesto.

1436 Protinus ad sanam doctrinam spectat ut nihil sub velamine habeat, quod publicum horreat quod deprehensum pudore, aut infamia ureretur. Sed illa quae velaminibus gaudet, latibula, et angulis semper quaerit quae deprehensa rubore suffunditur, arguta non habet unde se iustus sententia tueatur est protinus proscrubenda, et omnino abicienda, promulgata etiam ab his qui devotione, et sanctitate pollere videntur. Tutius enim audirentur iniqui inhaesitant, et manifeste vera dicentes, quam boni clandestine dubia proferentes. Omnem quidem excludit errorem, et animos audientium absolvit a dubiis manifesta, et examinata doctrina. Quocirca Salvator ad invincibilem responsionis defensionem pro sua doctrina se contulit, quum respondit: *Ego palam locutus sum mundo*: et de discipulis tacens, solum doctrinam approbavit ex manifesto, quum non a discipulis doctrina, sed a doctrina discipuli boni, vel reprobi censentur.

1437 Sed quoniam per sapientes consuevit approbari, aut reprobari quaecumque doctrina, locum in quo sapientes Iudaeorum convenire solebant subiungit, dicens: *Ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt, et in oculo locutus sum nihil*: quum enim multitudine sapientiam sanitas sit orbis terrarum, ut dicitur Sapient. vi cap., ad Iudaeorum sapientiam suam approbandam remittit Christus doctrinam, ut, si sapientes sunt, et audierunt, reprehendant, si reprehendendum quiddam inveniunt: si sapientes non sunt, sileant a propria ignorantia iam prostrati: si sapientes sunt, et amici, dicant quae noverunt, non amicitiae gratia, sed veritatis gloria. Nam vere sapientes secundum veritatem, non secundum inimicitiam, aut amicitiam omnino diffiniunt. Si sapientes sunt et inimici, ad validius testimonium interpello, ut propter sapientiam submittant inimicitiam, et garriant, si possunt,

in manifestam doctrinam. Si vero non possunt, aut taceant, aut, si iustitiam sentiunt, iustis laudibus efferant; nam ubi multi sunt sapientes ibi cautio est doctrinae. Semper enim veretur docens quos novit assistere sapientes, et caute loquitur, maxime acervi si adstant, ne deprehensus in aliquo confundatur. Sed quoniam proprius amor saepe hominem fallit, subiungit Dominus, dicens: *Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum eis?*

1438 Magnam testimonium est quod vera sit, et irreprehensibilis doctrina illa, quae ad iudicium revertitur aemulorum; et inobscurabili claritate resplendet quae ad examen proponitur reproborum; atque iustissima ex omni parte censetur quae nullorum fornaces expavet. Et subdit Dominus: *Ecce, hi sciunt quid dixerim ego*. O benigna mansuetudo Salvatoris! velut ante iudicem statat, et adversus doctrinam suam testes acervulos allegabat: sciebat enim se dixisse infallibilem veritatem: inconfutibilis nempe veritas est, et arguta peramplius fulget, et tunc siquidem sortitur triumphum, scilicet quod adversarios habet.

1439 Ad posterus ergo hoc derivatur in exemplum, ut doctrina non sit privata, sed communis, non occulta, sed publica, non opinabilis, sed veritate firmata, quae nullis obretractationibus tremat, quae nullis paveat detractores, quae suos ubilibet conterat inimicos, magis adversitatibus, quam tranquillitatibus, illucescat. Haec solum doctrina Christi possedit, quae nec mirum si mansit intrepida coram Anna, aemulos ad sui testimonium quaerens, Christo capite defendente; quum coram Imperatoribus, et Regibus mundi non cessit in Christi feris membris, in eis Spiritu sancto loquente.

1440 *Haec quum dixisset, unus assistens ministrarum dedit alatum Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici?* Sed vide mansuetudinem patientis, cognosce sapientiam respondentis: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si autem bene, quid me caedis?* O benignitas, et humilitas Salvatoris! iudicium vult subire cum servo qui omnium Dominus est, et iudex: totum tradidit se in iudicio Christi, omnia inimicorum examinationi remittit: Corpus, mores, et verba, et si qua humana sunt eius, in iustitia vult appendi. Approbari, aut improbari testimonii satagi cum ministro, nec tamen parat Dominus maxillam aliam, sicut alios docerat observare (MATTH. v).

1441 Sed altius Christus exemplo suo nunc nos trahit, opus esse perfectum ostendens, quod ad bonum trahitur male agens, quando charitas servatur in animo, et suavi proximus compungitur verbo. Perfectum nempe in virtutibus est ei qui te percipit inferre salutis verba; et, quum odio te feriat,

in eum charitate constringas, ut quem pateris percussorem possis tandem habere consortem. In id quippe tendebat Salvator qui vult omnem hominem salvum fieri, et ad agnitionem veritatis venire. In hoc quippe exemplo nos docet Salvator noster quod, si molli responsione homo proximi iram extiterit, quoniam, ut dicitur Proverb. xv cap.: *Responsio mollis frangit iram, sermo durus excitat furorem*; simul duo congeminat bona, ut virtus patientiae suo munere fulgeat, et conversus proximus dignam poenitentiam agat: et sic utriusque boni patiens sortitur praemium, quia sustinuit, et quia convertit, et respiciens a malo, poenas dignas malis evasit.

1442 Tertio additur Petri negatio: *Sequebatur etenim Petrus Christum, non tantum corpore, quantum mente; quum titubatio fidei plene complexerat, et amor ad Christum a timore hominum patibatur iniuste conflictum. Hic a Ioanne in domum introductus est per curialium notitiam qua Petrus ipse carebat. Et hinc inde agitata verbis Christum trina desepit negatione. Despicitur nempe quod tanta procaecitate negatur, et sub anathemate ponitur Filium Dei, qui omnes venerat reconciliare cum Patre. Pervalide siquidem agebatur virga timoris qui se excommunicabat, si cognovisset etiam Christum, et iuramento falso firmabat quod non cognoverat veritatem. Dixerat enim interroganti Christo (MATTH. xvii): *Tu es Christus Filius Dei vivi*; quam cognitionem veritatis, non ab homine, aut ab Angelo, sed ab aeterno Patre susceperat, qui quempiam docento non fallit. An forte occasiones fuerunt in Petro praeter timoris angustiam, et fidei detrimentum, quod ancilla ostiaria introduxit? An forte quia frigus erat, et ad ignem se posuerat Iudaeorum? Exteriori frigori interiori frigiditatem insinuat, et Spiritus sancti ignem Iudaeorum exarserat ignis. Gallo interim dante vocem, et inter verba Christo miserante, ab ipso respectus Petrus egreditur foras, et flevit amare. Haec autem negatio Petri an tota in domo Caiphae, an in una incepta, et in altera consummata, secundum diversorum opinionem, (quia nihil addit, vel admittit fides alterum horum credere) non sit praesentis dissertationis.*

1443 De Beata Virgine sane in praesenti loco credendum est quod discipulus ille quem diligebat Iesus, videns tam dire tractari Dominum suum, interim occurrit ad Virginem gloriosam, nuncios quae acciderant circa Filium suum. Forte noverat eam esse in Bethania, in domo Magdaleneae cum sororibus suis. Quo audito, prae immensitate doloris concussa sunt omnia viscera eius, et implacabili fletu plorare coepit, et aliae mulieres quae cum ea erant: secedensque ab aliis, ante Domi-

num in oratione lacrymarum irriguo se prostravit, omni qua potuit pietate paterna dilectioni commendans Filium suum. Ac non post multum moram consurgens cum Magdalena, et sororibus suis, concito gressu, plorantibus cunctis, Ierusalem adit: *Quomodo obviaret custodibus civitatis, dicitur ei: Quid ploras mulier? Quid quaeris?* Respondit: *Nunquid quem diligit anima mea vidistis?* Et illi: *Qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?* Et illa: *Dilectus meus, candidus, et rubicundus, electus ex millibus.* Aiunt illi: *An forte filius tuus est ille qui hac nocte, tanquam malefactor et latro, ductus ad domum Annae Pontificis ligatus, et verberatus, et tam atrociter laceratus?* Quo audito, Maria fere cecidit in terram prae dolore: sed amore videndi Filium suum, vires ressumens, ocus pervenit ad domum Annae: non invento ibi Iesu, alioque referente, didicisti fuisse transmissum ad Pontificem Caipham, sicut in sequenti capitulo patet. Plorando ergo cum sororibus, et devotissima Magdalena per viam pervenerunt ad Caiphae domum, et introire quaerentes, prohibita sunt. Dure legitur extra domum plorans clamabat: *Fili mi Iesu, Iesu fili mi; o Iesu fili mi, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Quis unquam exprimeret quantus cruciatus tunc renovatus est in anima Iesu Christi, quum in spiritu intellexit Matrem propter eum tam atrociter cruciari?

FERIA QUARTA

QUATUOR TEMPORUM QUADRAGESIMAE.

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. xvii, 38-50.

In illo tempore: Respondederunt Iesu quidam de Scribis et Pharisaeis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre.

39. Qui respondens ait illis: Generatio mala et adultera signum quaerit: et signum non dabitur ei, nisi signum Ioniae Prophetae.

40. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus, et tribus noctibus.

41. Viri Niniivitarum surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ioniae. Et ecce plus quam Ionas hic.

42. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, et condemnabit eam: quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic.

43. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem, et non invenit.

44. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatum.

45. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se et intrantes habitant ibi: et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimae.

46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius et fratres stabant foris, quaerentes loqui ei.

47. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quaerentes te.

48. At ipse respondens dicens sibi, ait: Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?

49. Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei.

50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est: ipse meus frater, et soror, et mater est.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.
(Habetur ex integro in Breviario Romano).

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.
COMMENT. IN EVANG. MATH., CAP. 12.

1444 **T**unc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisaeis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre. Sic signum postulant, quasi quae viderant, signa non fuerint. Sed in alio evangelista quid petant plenius explicatur: *Volumus a te signum videre de coelo* (MARC. VIII, 11). Vel in morem Eiliae ignem de sublimi venire cupiebant (III REG. XVIII, 38), vel in similitudinem Samuells, tempore aestivo contra naturam loci mugire tonitrua, conuscare fulgura, imbres rueri (I REG. XII, 18), quasi non possint et illa calumniari, et dicere ex occultis et variis aeris passionibus accidisse. Nam qui calumniaris ea quae oculis vides, manu tenes, utilitate sentis: quid facturus es de his quae de coelo venerint? Utique respondebis, et magos in Aegypto multa signa fecisse de coelo (EXOD. VII, 12, 22).

1445 *Qui respondens, ait illis: Generatio mala et adultera.* Egregie dixit adultera: quia dimiserat virum, et iuxta Ezechielem, multis se amatoribus copulaverat (EZECHIEL. XVI, 26).

1446 *Signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ioniae Prophetae. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus: sic erit Filius hominis in*

corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. De hoc loco plenius in Commentariis Ioniae prophetae disputavimus: ad illum ergo locum lectoris diligentiam remittimus. Hoc breviter nunc dixisse contenti, quod synecdochice totum intelligatur ex parte: non quod omnes tres dies et tres noctes in inferno Dominus steterit; sed quod in parte Paraseves, et Dominicae, et tota die Sabbati, tres dies et totidem noctes intelligantur.

Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ioniae. Non sententiae potestate, sed comparationis exemplo. *Et ecce plus quam Ionas hic.* Hic, adverbium loci, non pronomen intelligas. Ionas, secundum Septuaginta Interpretes, triduo praedicavit: ego tanto tempore. Ille Assyriis genti incredulae: ego Iudaeis populo Dei. Ille peregrinis: ego civibus. Ille voce locutus est simplici, nihil signorum faciens: ego tanta faciens signa, Beelzebub calumniam sustineo. Plus ergo est Iona hic, id est, in praesentiarum inter vos.

Regina austri surget in iudicio cum generatione ista, et condemnabit eam: quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic. Eodem modo condemnabit regina Austri populum Iudaeorum, quo condemnabunt viri Ninivitae Israellem incredulum. Ista autem est regina Saba, de qua in Regum volumine et in Paralipomenon legitur (III REG. X, 1 ss.; II PARAL. IX, 1 ss.); quae per tantas difficultates, gente sua et imperio derelictis, venit in Iudaeam audire sapientiam Salomonis, et ei multa munera tulit. In Nive autem et in regina Saba, occulte fides nationum praefertur Israel.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem et non invenit. Tunc dicit:

*Quidam istum locum de haereticis dicitur putant, quod immundus spiritus, qui in eis antea habitaverat, quando gentiles erant, ad confessionem verae fidei eiiciatur: postea vero cum se ad haeresim transtulerint et simulatis virtutibus ornaverint domum suam, tunc aliis septem nequam spiritibus adiunctis, revertatur ad eos diabolus et habitat in illis: fiantque novissima eorum peiora prioribus. Multo quippe peiori conditione sunt haeretici quam gentiles: quia in illis spes fidei est, et in istis pugna discordiae. Cum haec intelligentia plausum quemdam et colorem doctrinae praeferat, nescio an habeat veritatem. Ex eo enim quod finita vel parabola, vel exemplo, sequitur: *Sic erit et generationi huic pessimae;* compellimur non ad haereticos et quoslibet homines: sed ad Iudaeorum populum referre parabolam, ut contextus loci non passivus et vagus in diversum fluctuet, atque insipientium more turbetur; sed haerens sibi, vel ad priora, vel ad posteriora respondeat. Immundus spiritus exivit a Iudaeis, quando acceperunt legem, et ambulavit per loca arida, quaerens sibi requiem. Expulsus videlicet a Iudaeis, ambulavit per gentium solitudines: quae cum postea Domino credidissent, ille, non invento loco in nationibus, dixit:*

1450 *Revertar in domum meam, unde exivi.* Hoc est abibo ad Iudaeos, quos ante dimiseram.

1451 *Et veniens, invenit vacantem, scopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes, habitant ibi: et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimae.* Vacabat enim templum Iudaeorum, et Christum hospitem non habebat, dicentem: *Surgite, et abeamus hinc* (IOANN. XIV, 31).

Et in alio loco: *Dimittetur vobis domus vestra deserta* (LUC. XIII, 35). Quia igitur et Dei et angelorum praesidia non habebant, et ornati erant superfluis observationibus legis, et traditionibus Pharisaeorum, revertitur diabolus ad sedem suam pristinam: et septenario sibi numero daemonum addito, habitat pristinam domum, et fiunt illius populi novissima peiora prioribus. Multo enim nunc maiori daemone numero possidentur, blasphemantes in synagogis suis Christum Iesum, quam in Aegypto possessi fuerant ante legis notitiam: quia aliud est venturum non credere, aliud eum non suscepisse qui venerit. Septenarium autem numerum adiunctum diabolo, vel propter Sabbatum intellige, vel propter numerum Spiritus sancti; ut quomodo in Isaia super virgam de radice Iesse, et flos qui de radice concendit, septem spiritus virtutum descendisse narratur (Is. XI, 1-3); ita econtrario vitiorum numerus in diabolo consecratus sit.

1459 *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius et fratres stabant foris quaerentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quaerentes te. At ipse respondens dicens sibi, ait: Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit.* Occupatus erat Dominus in opere sermonis, in doctrina populorum, in officio praedicandi, mater et fratres veniunt, et foris stant, et ei desiderant loqui. Tunc quidam nuntiat Salvatori, et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes, habitant ibi: et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimae. Vacabat enim templum Iudaeorum, et Christum hospitem non habebat, dicentem: *Surgite, et abeamus hinc* (IOANN. XIV, 31).